

nostrarum cognitionum quoties per ideas claras et distinctas habentur. — [Quantae hic petitiones principii et contradictiones sint, cfr. logic.].

b) *quoad ideologiam*. Cognitionem sensitivam soli animae tribuit, nec tamen ex ea censet posse oriri cognitionem humanam intellectualem, sed debet haec esse innata. Distinguit autem Cartesius: *ideas adventitias* quae per sensuum experientiam adveniunt, quae solas res corporeas repraesentant, suntque singulares, ac si a singularitate abstrahuntur, non tamen sunt nisi collectivae, minime universales; — *ideas factitias*, quas ope imaginationis nos ipsi componimus; — et *ideas innatas*, quae ab initio nativitatis in nostro intellectu existunt, quae Deum, et nos ipsos, et omnes notiones aeternas, necessarias, immutabiles essentias repraesentant: naturas, ens, veritatem, extensionem, motum, etc... Porro quid istae ideae innatae sint, explicat aliquando, eas esse entia quaedam in mente nostra actu existentia, quae percipiuntur; aliquando vero, objectionibus pressus explicat, eas non esse actualia quaedam a mente distincta entia, sed ipsum intellectum prout capacem qui eas exprimat ex propria sua essentia, non ex concursu sensuum. — Objective veras esse ideas innatas supponendum est, explicandumque ex veracis Dei ordinatione ut objectis ideae corresponderent, neque sensualis experientia est aliud quam causa occasionalis. [Nihil mirum quod illam explicationem mox Cartesiani deseruerint, et ab idealismo se defendere non potuerint!] — Ideas objectis per iudicium applicamus, qui actus voluntatis est assentientis vel dissentientis; neque iudicium prudens et certum est nisi idea sit clara distincta, ac proinde error semper voluntarius est. — Atque haec differentia inter hominem et Deum est, quod hominis voluntas debet sub ductu rationis agere, in Deo vero intellectus verum vel falsum, possibile vel impossibile, bonum vel malum esse aliquod objectum percipit pro liberae voluntatis omnipotentis nutu.

c) *quoad Deum*. Ex definitione substantiae sua: «res quae ita existit ut nulla alia re indigeat ad existendum,» concludit unicam esse vere substantiam, Deum, reliqua nonnisi analogice substantias dici. Deus est infinitus, eumque conceptu infiniti positivo immediate intuemur, non tamen comprehendimus. Deus est simplicissimus intellectus et voluntas, substantia sine ulla modificatione.

d) *quoad mundum*. Substantia cognoscitur ex attributis, sed quaevis substantia nonnisi unum attributum essentiale habet. Substantia corporea in extensione locali consistit. — In explicanda rerum natura rejicit causas finales, solas efficientes admittit; formas substantiales eliminat, atomos solas earumque vortices admittit; ipsa etiam animalia nullum habent principium vitale, sed sunt mera automata. Tota corporum activitas non a vi naturis insita procedit, sed explicari debet per motum a Deo impressum et conservatum. — Vacuum est impossibile, spatium ibi dumtaxat esse potest ubi est corpus, et est infinitum, ergo et mundus.

e) *quoad animam*. Anima est substantia simpliciter spiritualis, facultates

spirituales tantum possidens, cujus essentia est ipsa cogitatio actualis; — vita vegetativa et sensitiva in homine non sunt ab anima, sed a solo corpore de se ad eas apto, quin admittendae sint speciales potentiae. — Corpus naturalis machina est, in qua sensationes et motus ex solo calore cum spiritibus animalibus, sanguinis parte tenuissima, oriuntur. — Unio animae et corporis est ex mero influxu mutuo; sedes animae est glandula in medio cerebro. — Voluntatis libertatem dicit quidem libertatem indifferentiae, sed distinguit indifferentiam negativam (in qua est voluntas dum nulla sunt motiva quae eam allicere possent), et positivam (facultatem voluntatis ut pro motivo eligat unum prae altero bono). Prior soli Deo independentissimo competit, sola posterior est hominis libertas. At eam intelligit Cartesius meram libertatem a coactione, nam intus necessitatur voluntas ab objecto proposito; ac si quando usu videatur amplior electio, id ex eo solo venit quod sibi alterum motivum proponit, alterum vero oppositum removet non proponendum.

f) *quoad ethicam*. Pauca hic, neque ex professo, docet. Summum hominis bonum et beatitudo est virtus et constans voluntas recte agendi, et quies animi. Officium igitur hominis est ut eam assequi conetur. Summa virtus est amor Dei quia in ea summa pax animi invenitur.

Contra philosophiam cartesianam statim initio plurimi reclamarunt, quos inter eminuerunt Gassendi, Huet episcopus Abrincensis, Bourdin et Daniel Jesuitae; pluries a Sorbona (Parisiensi Universitate), et anno 1673 Romae interdicta fuit; attamen diversimode modificata in diversis regionibus, praesertim in Gallia et Belgio, paulatim propagata fuit, et plus aequo laudata. — Cartesianam philosophiam est essentialiter opposita sensualismo, qui suo tempore potissimum in Anglia vigeat; sicut enim Bacon philosophos ad observationem factorum externorum provocabat, ita Cartesius ad internorum factorum observationem. Inter praecipuos Cartesianismi sectatores fuerunt *Antonius Arnoldus* et ceteri passim *Janseniani*.

2° *Arnoldus Geulinx*, Antwerpiensis, 1625—1669, docuit Lovanii, deinde Lugduni Batavorum; ita prosequitur Cartesii principia ut etiam omne commercium inter animam et corpus neget, quia «quod nescis quomodo fiat, id non facis!» Omnia ergo a solo Deo in animo vel in corpore fiunt harmonice cum iis quae vicissim in corpore vel in anima existunt. — Praeformatur ergo occasionalismus in ista doctrina.

3° *Baruch Spinoza*, Amstelodamensis, 1632—1677; Judaeus, mox dubiis agitato, baptisatus, mathesi et philosophiae se dedit. Cartesianis ex principiis deducit suum pantheismum. Plura scripsit opera, inter quae: «Renati Cartesii principia philosophiae more geometrico demonstrata;» et «Ethica ordine geometrico demonstrata. — In hoc suo praecipuo opere posthumo, singulis partibus aliquot definitiones praemittit, deinde axiomata, postea propositiones ordine alias ex aliis deducit. — Sed definitiones ita enunciat ut arbitrarie confectae jam praesupponant vel contineant eas propositiones quas exinde evolvat; item axiomata gratuita statuit. — Quoad rem ipsam vero ita

aberrat in suo pantheismo ut, si verborum et enunciationum apparatus pseudo-scientificum demas, multa vix non identica cum illis invenias, quae superius in vedanticis Indorum systematibus exposuimus. Ad extremas consequentias logicas omnia provehit; ubique non nisi unicam substantiam inconsciam, sine libertate, fato actam agnoscit. — In historiam philosophicae evolutionis humanae parum vel nihil influit, qui praeter immediatos sectatores paucos, nullum alium nactus est discipulum sed contradictores plurimos.

§ 3. CONATUS REAGENTIS PLATONISMI, MYSTICISMI, SCEPTICISMI.

Contra novitates supradictas insurrexerunt nonnulli tum in Anglia, tum in Gallia, tum in Germania; eo tamen successu ut parum vel nihil conficerent, nulloque modo novitates impedirent; neque ipsi ullum philosophiae profectum attulerunt. Horum praecipui fuerunt:

1° In Anglia: *Samuel Parker*, † 1688, episcopus Oxoniensis, platonista, et alii pauci et parum noti.

2° In Gallia mystici: *Blasius Pascal*, 1623—1662, Claromontanus, Jansenianus, contra Cartesium contendit dogmatismum rationi repugnare; simul tamen contra Pyrrhonistas tenet scepticismum naturae adversari; verum igitur cognitionis nostrae, ac unicum certitudinis fontem esse revelationem. — Hunc praeter Jansenianos fere nemo sequitur.

3° In Gallia sceptici: a) *Daniel Huet*, 1630—1721, Abrincensis episcopus; solam revelationem admittit.

b) *Petrus Bayle*, Carlatensis, 1647—1706, Calvinista, dein Catholicus, sed mox relapsus calvinista, peripatetismum admisit, et reliquit, Cartesianismum amplexus est, attamen brevi, omnia deseruit et scepticus irrisor factus est, operum Michaelis Montaigne assiduus lector. Multa scripsit, quorum praecipuum est magnum «*Dictionarium historicum criticum.*» Positivum quid ab auctore traditum in eo opere nihil invenitur; sed aliena quaeque critice inspicit, contradictiones in omnibus extollere satagit; idque maxime efficere gaudet ut inter revelationem et rationem inconciliabilia conetur ostendere, apparenti quidem sub praetextu ut revelationis necessitatem, insufficientiam rationis exponat, re tamen vera ex animo erga revelationem infenso, quem etiam non raro manifestat. — Multum contulit iste auctor ad introducendam apud Gallos rei religiosae oblivionem, et illam miseram animorum levitatem quam eorum nationi nunc passim aliae gentes exprobrant.

4° In Germania mystici: a) *Angelus Silesius*, 1624—1677, mysticum pantheismum non vitat.

b) *Hieronymus Hirnhaimb*, † 1679, abbas monasterii Sion, Pragae, solas divinas revelationes vel illuminationes privatas tanquam verum certitudinis fontem admittit.

ARTICULUS 3.

Philosophia Scholastica.

1° Medias inter omnes istas reformationes et novitatum deliria, etiam philosophiae scholasticae impetum novum et robor videmus additum. Cujus rei causae enumerari variae possunt:

a) ipsae irrisiones novatorum et pauca quae isti vera vitia scholasticis vituperantes objiciebant: defectus veri progressus, steriles et inutiles subtilitatum discussiones nominalium et realium, barbara styli negligentia; quae omnia catholici fundata esse animadvertentes, mox emendare conati sunt;

b) ortus protestantismi, et paulo post, jansenianismi; quo plurimi maximeque varii errores sparsi sunt, contra vim ratiocinii et auctoritatem testimonii, contra existentiam ordinis supernaturalis, vel contra ejusdem distinctionem ab ordine naturali, contra gratiae divinae naturam, distributionem, necessitatem, contra humanae libertatis existentiam, naturam, valorem, meritum; in eas nempe partes elucidandas et defendendas totus catholicorum nisus dirigendus fuit; nova materia novis studiis metaphysicis excitementum;

c) reformatio vera et sapiens a Concilio Tridentino inchoata, tum circa mores, tum circa dogmatum expositionem, confirmationem, defensionem;

d) multorum ad errores recentes defectiones et rebelliones, tum in variis catholicis universitatibus, tum in variis religiosis ordinibus; unde reactio apud bonos ad fortiora studia;

e) aliquantula etiam aemulatio inter varios ordines religiosos, scholas, universitates; maxime vero quando Societas Jesu, tunc recens nata, magnae notae doctores produxit, atque novum systema conciliationis inter divinam Providentiam Scientiamque et humanam libertatem, per scientiae mediae interventum, proposuit. Eam reliquorum plerique initio insimulabant novitatis et erroris.

2° Characteristica hujus renovationis nota fuit, quod minus jam Petri Lombardi scripta, sed potius universaliter Sⁱ Thomae Aquinatis Summam, pro praelectionum auctore et pro commentariorum fundo assumpserunt; cui, exceptis Scotistis, reliqui omnes adhaerere se profitebantur. — Istorum plurimorum celebriores exhibeamus.

3° *Franciscus de Vittoria*, Cantaber, 1480 — 1566, Dominicanus, studuit Parisiis, docuit Salmanticae. Is primus novum perfectionis motum excitavit. Ejus discipuli fuerunt praecipui Hispaniae doctores de quibus mox dicendum, qui et late extra Hispaniam nova studia promoverunt.

4° *Dominicus Soto*, Segoviensis, † 1560, Dominicanus, praecipuus Francisci de Vittoria discipulus; Theologus in Concilio Tridentino, Carolo V Caesari a confessionibus, scriptis famosus, multum in coevos catholicos egit.

5° Tum coeperunt Jesuitae docere et scribere. Quorum enumerare sufficiat praecipuos:

a) *Franciscus Toletus*, Cordubensis, 1532—1596; Dominici Soto discipulus, docuit Salmanticae; postea Soc. Jes. ingressus, Romae docuit philosophiam, deinde theologiam;

b) *Gabriel Vasquez*, Bellomontanus, 1551—1604, Toleti discipulus, docuit Compluti, et alibi, ac tandem Romae; scripsit «*Commentarium in Summam Sⁱ Thomae*,» qui inter optimos habetur, et «*Disquisitiones metaphysicas*.»

c) *Petrus Fonseca*, Lusitanus, 1528—1599, primus docuit Scientiam mediam. Simul cum aliis in *Collegio Conimbricensi*, famosos commentarios in universam philosophiam Aristotelis edidit, qui inter optimos numerantur.

d) *Ludovicus Molina*, Conchensis Hispanus, 1535—1600, discipulus Petri Fonseca, cujus nomine Molinistae dicuntur scientiam mediam defendentes.

e) *Leonardus Lessius*, Brechtensis prope Antwerpiam, 1554—1623, in controversiis circa scientiam mediam et auxilia gratiae praeclarus; scripsit insuper: «*De justitia et jure*»; «*De perfectionibus moribusque divinis*,» etc.

f) *Franciscus Suarez*, Granatensis, 1548—1617, *Doctor Eximius*, docuit Segoviae, Romae, Compluti, Salmanticae, Conimbricae; vocatus Romam obiit Olyssipone, vir non sanctitate vitae minus conspicuus, quam scientiae et eruditionis amplitudine praecellens. Praeter magnos commentarios theologicos in Summam Sⁱ Thomae, aliaque opera, scripsit «*Disputationes metaphysicas*.»

6° Ordo Sⁱ Dominici tunc doctrinae Sⁱ Thomae inhaerere perrexit, idque ita ut stricte explicarent eam, neque ullo modo admittere vellent Molinistarum explicandi modum, contrariamque explicationem expoliverint, inducta tunc theoria *praedeterminationis physicae*. Hanc ex testimoniis antiquitatis potius quam ex rationibus intrinsicis fulcire satagebant; praesertim textus Sⁱ Pauli, Sⁱ Augustini, et Sⁱ Thomae afferebant, eosque et multos et prima fronte evidentes, sed breves plerumque et extra contextam orationem detractos. — Contra eos Jesuitae suam sententiam ex rationibus intrinsicis potius probare conabantur, circa testimonia vero defensive potius se gerebant, ostendentes ex contextu non eam doceri sententiam quam adversarii interpretabantur. Ast id conficere non poterant nisi completas ac proinde prolixas analyses litterarias proponendo scriptorum Pauli, Augustini, Thomae, cum circumstantiis finis et temporis et personarum. — Inde longae et implicatae illae famosae disputationes de auxiliis gratiae et praedestinatione, quae tunc ardentissimae, nunquam sopitae et compositae, etiamnum plene sedatae non sunt. — Exinde etiam mos invaluit *Thomistarum* nomine non jam eos omnes appellandi qui Sⁱ Thomae doctrinis addicti essent, quibus inter scholasticos *Scotistae*, et *Nominales* opponebantur; sed illi soli sibi *Thomistarum* nomen reservaverunt qui Dominicanorum praedeterminantium strictam sententiam tenerent; Jesuitarum vero, etsi omnes S^m Thomam tanquam proprium auctorem explicandum, magistrumque sequendum habebant, alii *Molinistae*, alii paulo declinantes *Suareziani* seu *congruistae* dicti sunt. — Porro Dominicani hujus saeculi praestantiores philosophi enumerantur praeter inchoatores Franciscum de Vittoria, et Dominicum Soto, superius jam laudatos:

a) *Dominicus Bannez*, † 1604, commentator primae partis Sⁱ Thomae, docuit Salmanticae, virtute et scientia pariter illustris; primus Molinam impugnavit.

b) *Bartholomaeus Medina*, † 1581, commentator secundae et tertiae partium Sⁱ Thomae; prolusor probabilismi dicitur, eo quod sententiam antiquam et veram ea protulit forma, qua postea, ortis controversiis, usi sunt probabilistae.

c) *Joannes a S^o Thoma*, Olyssiponensis, 1589—1644, docuit Compluti et Salmanticae; praeter alia, scripsit «*Cursum completum philosophicum*.»

d) *Joannes Baptista Gonet*, Biterranus in Occitania, † 1681, docuit Burdigalae, magna fama thomismum propugnans.

e) *Antonius Goudin*, Lemovicensis, 1639—1695, docuit Avenione et Parisiis, praecipuus sui temporis thomista.

f) *Xanter Mariales*, Venetus, 1580—1660, doctrina et virtute insignis, ob defensionem Rom. Pont. auctoritatis in exilium pulsus.

7° Ordo Carmelitarum Thomistas Dominicanos arete sequitur; ejus praecipui sunt:

a) *Blasius a S. Conceptione*, unus ex illustrissimis in Collegio Complutensi.

b) Auctores «*Cursus Salmanticensis* in Summam Sⁱ Thomae.»

8° Ordo Cisterciensium Thomistis plerumque adhaeret. Eminent:

a) *Marsilius Vasquez*, † 1602, docuit Florentiae et Ferrariae, scripsit Commentarios in universum Aristotelem.

b) *Angelus Manriquez*, Burgensis, 1577—1649, *Atlas Salmanticensis Academiae*, docuit Salmanticae in Cathedra Scoti, sed mox in Cathedra Thomae Aquinatis, postea episcopus Pacensis.

c) *Bartholomaeus Gomez*, docuit in Collegio Mayrensi, scripsit de Logica, Physica, Metaphysica.

9° Ordo Benedictinorum etiam suos habuit, quorum maximus *Joseph Saenz de Aguirre*, docuit Salmanticae, scripsit: «*Philosophiam ad mentem Aristotelis et Divi Thomae Aquinatis*.»

10° Interea vero ordo Franciscanorum Scotismum suum retinet, atque in Commentariis in Sententias Petri Lombardi exponunt ac defendunt. Alii tamen, praecipue apud Capuccinos, ad Scotum quidem inclinant, magis autem S. Bonaventuram sequuntur. Illustres fuerunt multi apud varias gentes, plures apud Hispanos et Italos.

11° Universitates insuper variae Thomismum propugnaverunt:

a) Lovaniensis, et b) Duacena, ubi *Guillelmus Estius*, Gorcumiensis, 1542—1613; — *Joannes Malderus*, Leeuwensis, prope Bruxellas, 1561—1633; — *Joannes Wiggers*, Diestemensis, 1571—1639; — *Franciscus Silvius*, Branienensis, 1581—1649.

c) Coloniensis, cujus thesium propugnandarum collectio pulchrum thomisticae doctrinae compendium exhibet.

d) Salisburgensis per totam meridionalem Germaniam multum influens, ubi praecipuus fuit *Augustinus Redding*, † 1692.

SECTIO 3.

DE EVOLUTIONE PHILOSOPHIAE NOVAE USQUE AD EXITUM SAECULI XVIII.

Post medium saeculum XVII usque ad exitum saeculi XVIII, progressae sunt recentioris philosophiae diversae scholae in suam quaeque directionem, ad extrema usque consecutaria, et ad ultimam confusionem et abyssum perturbationis universalis. Et sicut expectandum erat, ita factum est, ut ex omnimodis erroribus in scepticismum pleraeque scholae abirent. Scholasticae vero studium et aestimatio imminuitur ac fere perit. Sint igitur.

Articulus 1. De empirismo.

Articulus 2. De rationalismo.

Articulus 3. De philosophia Christiana.

ARTICULUS 1.

De empirismo.

Inter tantam opinandi diversitatem tamque effrenam licentiam, non facile fuerit ordine aliquo systematum connexionem ostendere, vel auctorum opiniones in classes aliquas digerere. Sit igitur empiristarum divisio aliqua ad expositionis facilitatem, artificialis potius quam naturalis ex rerum ordine. Notabis autem empirismum in Anglia potissimum et Gallia dominatum esse :

- § 1. Schola sensualistica.
- § 2. Schola practica.
- § 3. Schola deistica.
- § 4. Schola materialistica.
- § 5. Schola sceptica.

§ 1. SCHOLA SENSUALISTICA.

1° *Joannes Locke*, Wringtoniensis, 1632—1704, Oxoniae studuit philosophiae et medicinae; vixit Berolini et in Batavia, comitis Shaftesburgensis educator; tandem in Anglia redux. — Is Baconem et Cartesium multum legit : hunc refutare, illum sequi et complere satagit :

a) de origine idearum. Refutatis ideis innatis, et systemate Cartesiano, concludit animam nostram initio esse tabulam rasam, in qua omnia ex experientia venire debeant, per sensationes externas, quas ideas simplices vocat, et per sensationes internas, quas ideas reflexas vocat; — ex his conjunctis et abstractis fiunt ideae compositae. Istae omnes revocari possunt ad ideas modorum, substantiae, et relationis. — *Modi* exhibent aliquid non per se existens, sed rei alius modificationes in spatio, vel in tempore, vel in nu-

mero. — *Substantia* exhibet substratum quod ex consuetudine nostra gratis praesupponimus, in quo simul inhaereant modi simul existentes. — *Relationes* exhibent varios nostros considerandi modos circa eandem rem; — causalitas gratis cogitatur ob constantem consecutionem mere historicam eventuum.

b) de sermone. Universalia sunt mera nomina communia et figmenta mentis nostrae. Omnis definitio est tantum nominalis; quid enim sit essentia rerum nescimus.

c) de cognitione veritatis. Distinguit cognitionem sensualem, de rebus externis; intuitivam, de interno statu cognoscentis; et demonstrationem, v. c. existentiae Dei. — Distinguit inter cognitionis veritatem, ob identatem idearum in iudicio; et cognitionis realitatem, ob conformitatem cum rebus. Unde ideae simplices semper habent realitatem; notiones communes vero et principia universalis carent objectiva realitate. — Vi suorum principiorum debuisset cognitiones nostras ad ordinem experientiae circumscribere; at sibi non constans plura disserit de Deo, de anima: — probat Dei existentiam argumento cosmologico; infinitatem explicat per additionem omnium perfectionum; — animam humanam esse immaterialem et spiritualem non negat, sed censet eam propositionem demonstrari non posse, cum possibile sit materiae a Deo tribui facultatem cogitandi; — bonum hominis est felicitas ex voluptate sensuali et spiritali hausta; bonum morale consistit in conformitate cum lege divina, civili...; omnipotentiam auctoritatis civilis rejicit; — ratio debet iudicare de veritate et sensu revelationis.

2° *Benedictus Hieronymus Feijoo*, Casdemirius, 1676—1764; unus ex primis apud Hispanos Baconem secutus, observationi et experientiae externae fere unice insistere coepit, notionesque ontologicas et metaphysicas ac methodum deductionis parvi pendere; — docet prima corporum principia esse elementa simplicia, ex quibus inextensis extensio oriatur; — beluas ratiocinio pollere, unde iis cum homine communis sit definitio: « animal rationale; » — dari in homine peculiarem sensum a reliquis revera distinctum, quo tempus sentit.

3° *Stephanus Bonnot de Condillac*, Gratianopolitanus, 1715—1780, clericus, vixit Parisiis, amicus Rousseau, Diderot, Voltaire, etc. — Primo sectatus est doctrinam Lockii; postea vero eam ita modificavit ut non jam duos cognitionis fontes, sensationem et reflexionem, admitteret, sed unicum tantum: sensationem ipsam transformandam. Atque ita animam concludit esse plane passivam, non activam, in cognitione qualibet. — Suis principiis inconstans immaterialitatem animae, et impossibilitatem ut materia cogitet, admittit.

4° *Carolus Bonnet*, Genebensis, 1720—1793, praecedente acutius et constantius sensualismum exponit, evolvitque in materialismum et determinismum, quo etiam voluntatis operationes non liberae, sed a nervorum organisatione et actione plene dependentes sint.